

Censuras de las tesis en Teología

Es uso común entre los Teólogos el caracterizar las tesis teológicas con un calificativo, que corrientemente suele llamarse *censura de la tesis*. Tales calificativos son, por ejemplo, *de fide*, *de fide definitiva*, *de fide catholica*, *theologica certa* y otros. De lamentar es que en estas calificaciones no haya unanimidad entre los autores, pues con ellas se define en una o dos palabras el grado de certeza teológica que corresponde a cada proposición, perteneciendo por consiguiente esas calificaciones a la terminología técnica más importante de la ciencia teológica. La variedad no es debida a la diversidad de escuelas teológicas, a que tal vez pertenecen los autores, ni a la diversidad de opinión en el aprecio del valor de la proposición, puesto que esa variedad se encuentra aun en autores que pertenecen a la misma escuela y defienden la mismísima doctrina teológica.

Siendo por consiguiente tan importante la uniformidad en materia tan capital y delicada, han acudido a nosotros varios Teólogos de diversas partes, antiguos alumnos nuestros, proponiéndonos la conveniencia de intentar alguna vía de acuerdo. Dándonos perfecta cuenta de la dificultad del intento, *a modo de ensayo* solamente, proponemos a nuestros lectores un esquema brevemente razonado sobre *un sistema de censuras teológicas y sus respectivos calificativos*, deducido única y exclusivamente *de la relación que la doctrina de las tesis guarda con las fuentes de la Revelación y con el Magisterio universal de la Iglesia*.

Como nuestro trabajo se dirige a los *profesionales de la Teología* y responde a las preguntas que se nos han hecho de diversas partes, nos ha parecido mejor redactarlo y publicarlo en latín, con el objeto de proponer *en su propio lenguaje la terminología técnica* que tal vez fuera conveniente adoptar. Repetimos que lo que proponemos es solamente *a modo*

de un modesto ensayo, deseando y pidiendo encarecidamente que los profesionales de la Teología nos propongan todos cuantos reparos o modificaciones les ocurrieren, para tenerlos en cuenta e intentar con la ayuda de todos la uniformidad apetecida, en lo posible.

De valore et censura propositionum in Theologia

BIBLIOGRAPHIA.—TURRECREMATA, *Summa de Ecclesia*, l.4, ple. 2, c.8-12. CASTRO, *De iusta haereticorum punitione*, l.1, c.3. GANO, *De locis*, l.12, c.6-10. SUÁREZ, *De fide*, d.19, sec.2, n.1-24. LUGO, *De fide*, d.20, sec.2-3. SALMANTICENSIS, *De fide*, d.9, dub.4. ARRIAGA, *De fide*, d.20, sec.3. PERRONE, *Prael. theol.* l.6, *de fide*, c.9, a.2, § 2, n.499-522. MAZZELLA, *De fide*, d.2, a.8, n.440-476. BERAZA, *De virtutibus*, n.873-886.

MONOGRAPHIAE.—RIPALDA, *Adversus Baium*, d.1, sec.7-9: Ed. Vivès, 5, 30-37. VIVA, *Damnatarum thes. theologica trutina*, 1, q. prodroma (1749) p. 1-11. MONTAGNUS, *De censuris seu notis theologicis et de sensu propositionum*: ap. MIGNE, *Curs. theol.* 1 (1837) 1111-1222. H. QUILLIET, *Censures doctrinales*, DTC 2 (1923) 2101-2113.

MANUALIA THEOL. FUNDAMENT.—FRANZELIN, *De Traditione*, th.12, Schol.2 (1896) p.141-146. WILMERS, *De Ecclesia*, n.247. BAINVEL, *De Magisterio*, n.105. BILLOT, *De Ecclesia*, q.10, th.17, § 2. MUNCUNILL, *De Ecclesia*, n.520-530. DE GROOT, q.10, a.5-6. D'HERBIGNY, n.390-391. SCHULTES, a.70. MICHELITSCH, § 244. DIECKMANN, n.892-896. DE GUIBERT, n.352.

Bibliographiam ampliorem vide, in locis citatis, apud QUILLIET, FRANZELIN, WILMERS, BAINVEL, MUNCUNILL, DE GROOT, SCHULTES, MICHELITSCH, DIECKMANN, DE GUIBERT.

PRAENOTANDA.—1.º Supponimus doctrinam communem de Magisterio ecclesiastico eiusque fontibus, qua supposita breviter tractare intendimus de *valore* et *censura* propositionum in Theologia. Censurae theologicae iam media aetate adhibitae sunt a Ioanne XXII (1316-1334) contra errores Fratitellorum, Marsilii Patavini et aliorum, et a Concilio Constantiense (1418) contra Wicleff et Hus; posterius autem censuratum usus frequens occurrit¹.

2.º Iudicium valoris vel censurae propositionum quamvis in essentialibus simili modo a Theologis exprimatur, tamen in pluribus particularibus necessariam uniformitatem nondum obtinuit. Ante Concilium Vaticanum haec varietas orie-

¹ Praecipuas censuras ante Conc. Vaticanum adhibitas vide apud DENZINGER, *Enchiridion*, Ed. 23.ª nn. 490. 493. 494. 500. 529. 575. 661. 733. 781. 1080. 1096. 1288. 1290. 1321. 1349. 1451. 1501-1583.

batur praesertim ex diversitate opinionum in tractatu de fide, atque ex eo quod doctrina de subiecto, modo et ambitu Magisterii infallibilis nondum perfecte definita esset. Post Concilium Vaticanum, in quo doctrinae de fide et de Magisterio ecclesiastico in multis sancitae sunt, varietas apud auctores pendet partim ex iis quae adhuc in hac materia disputabilia manent, partim vero ex influxu praecedentium theologiarum tractationum.

3.º Optandum sane est ut in hac re uniformitas, quantum fieri possit, obtineatur. Summi enim momenti in Theologia est, ut denominatione simplici perfecte definiri valeat categoria aestimationis vel improbationis, quam theses merentur, ex earum certa relatione ad principia Theologiae. Quamobrem, attendentes in primis ad ea quae in Concilio Vaticano definita sunt et sequentes in reliquis communiores Theologorum sententias, *systema quoddam ordinatum* proponere conabimur, ex quo iudicium valoris vel censurae propositionum praecipuarum in Theologia efformari valeat.

NOTIONES.—Valor vel censura propositionum in Theologia est iudicium exprimens gradum relationis earum ad veritatem quam Theologiae fontes et criteria exhibent. Iudicium huiusmodi duplicis generis est: aliud *positivum*, quod a nobis appellatur propositionum *valor*; aliud *negativum*, quod appellari consuevit propositionum *censura*².

VALOR propositionum in Theologia est iudicium exprimens gradum certitudinis, quae eis competit, ex ipsarum concordia cum veritate, quam Theologiae fontes et criteria exhibent.

CENSURA propositionum in Theologia est iudicium exprimens gradum falsitatis, quae eis competit, ex ipsarum aberratione a veritate, quam Theologiae fontes et criteria exhibent.

NOTAE theologicae sunt denominationes, quibus valor vel censura propositionum exprimuntur³.

Intendimus tantum definire valorem et censuram proposi-

² *Censura* proprie significat iudicium improbens. OVIDIUS, *Remedia amoris*, versu 361-362: "Nuper enim nostros quidam carpere libellos. Quorum *censura* musa proterva mea est". VELLEIUS, *Historiae* 1.2 c.36: "Vivorum ut magna admiratio, ita *censura* difficilis est". GELLIUS, *Noctium Atticarum* 1.12 c.2: "Mihi de omni eius [Senecae] ingenio deque omni scripto iudicium *censuramque* facere non necessum est". Pariter apud TERTULLIANUM, *Apolog.* c.2 et c.39; *Adv. Marcion.* 1.1 c.29; *De carne Christi*, c.4: ML 1, 322. 532; 2, 307. 804.

³ Appellantur: *Notae*, quia notificant theologicum momentum quod propositiones habent; *Qualificationes*, quia qualitatem theologicam propositionum exprimunt; *Valores* dogmatici vel theologici, quia exhibent categoriam aestimationis, quam propositiones merentur ex earum relatione ad principia et criteria dogmatica vel theologica.

tionum ex ipsarum relatione ad *primarios fontes et ad primum criterium Theologiae*. Fontes primarii Theologiae sunt, ut scimus, ipsi duo revelationis fontes qui fidei depositum constituunt, videlicet, sacra Scriptura, seu verbum Dei scriptum, et divina Apostolorum Traditio, seu verbum Dei traditum (D 783. 1792. 1800. 1836). Criterium primum Theologiae est universale Ecclesiae Magisterium, cui divinitus commissae sunt perennis custodia et authentica interpretatio fontium revelationis (D 786. 1788. 1800. 1836). "Statuere quae sint doctrinae divinitus traditae, Ecclesiae docentis est, cui custodiam interpretationemque Deus eloquiorum suorum commisit"⁴.

Propositio quaelibet theologica habet ergo diversum certitudinis vel falsitatis gradum, secundum diversam relationem ipsius tam ad fontes revelationis quam ad Magisterium Ecclesiae. Norma vero generalis ad hanc relationem determinandam praescripta est ab ipsa Ecclesia his verbis: "Declarata seu definita dogmatice res nulla intelligitur, nisi id manifeste constiterit" (CIC 1323 § 3).

In sequentibus valorem et censuram, quae frequentius occurrunt, determinamus ex relatione propositionum: A) *Ad fontes revelationis*; B) *Ad universale Magisterium*; C) *Ad utrumque*, id est, et ad fontes et ad Magisterium.

A) *RELATE AD FONTES REVELATIONIS*

1. DE FIDE IN GENERE est ea doctrina quae ad fidem pertinet: a) sive *directe* vel *formaliter*; b) sive *indirecte* vel *virtualiter* (S. Th. 2 2 q.11 a.2). Doctrina opposita dici potest in genere ERROR CIRCA FIDEM. Haec nota *de fide in genere* includit *duas species*: a) alia est propria doctrinae quae ad fidem pertinet directe vel formaliter; b) alia vero propria est doctrinae quae ad fidem pertinet indirecte vel virtualiter. Unde duae notae theologicae quae sequuntur.

2. DE FIDE DIVINA seu *revelata* est doctrina quae ad fidem pertinet directe vel formaliter, seu quae in Scriptura vel Traditione directe vel formaliter continetur. Doctrina opposita est ERROR IN FIDE.

3. THEOLOGICE CERTA seu *cum revelatis connexa* est doctrina quae ad fidem pertinet indirecte vel virtualiter, seu quae certo ac necessario *deducitur* ex veritate revelata, *mediante* alia veritate naturaliter certa. Doctrina opposita est ERROR THEOLOGICUS.

⁴ LEO XIII. *Encycl. "Sapientiae christianae"* ASS 22 (1890) 394.

B) *RELATE AD UNIVERSALE MAGISTERIUM ECCLESIAE*

4. DOCTRINA CATHOLICA IN GENERE est ea quae ab universali Magisterio docetur: a) sive *infallibiliter*; b) sive *mere authentice*. Doctrina opposita dici potest ERROR CIRCA DOCTRINAM CATHOLICAM.

Haec *nota generica* includit *duas species*: a) alia est propria doctrinae quae ab universali Magisterio docetur infallibiliter; b) alia vero propria est doctrinae quae ab universali Magisterio docetur mere authentice. Unde duae aliae notae quae sequuntur.

5. DOCTRINA INFALLIBILITER CERTA est ea quae ab universali Magisterio docetur infallibiliter, seu actu excludente possibilitatem erroris. Doctrina opposita dici potest ERROR IN DOCTRINA INFALLIBILITER CERTA.

6. DOCTRINA CATHOLICA STRICTE est ea quae ab universali Magisterio docetur mere authentice, seu actu auctoritatis quidem doctrinalis, sed non excludente possibilitatem erroris (D 1684. 1820). Doctrina opposita est *saltem TEMERARIA* et dici potest ERROR IN DOCTRINA CATHOLICA.

C) *RELATE AD UTRUMQUE*, id est, *ad fontes revelationis et ad infallibile Magisterium.*

7. DE FIDE DIVINA ET CATHOLICA IN GENERE est nota quae resultat ex summa notarum *sub 2 et sub 5*. Ita appellatur doctrina quae in Scriptura vel Traditione directe vel formaliter continetur et ab Ecclesia *infallibiliter, ut credenda*, proponitur: a) sive *sollemni iudicio*; b) sive *universali et ordinario Magisterio* (D 1792; CIC 1323). Haec doctrina est formaliter DOGMA FIDEI; doctrina vero opposita est formaliter HAERETICA.

Haec nota de fide divina et catholica in genere includit duas varietates quae tantum accidentaliter differunt: a) alia est propria doctrinae formaliter revelatae, quae ab Ecclesia infallibiliter ut credenda proponitur *sollemni iudicio*; b) alia vero propria est doctrinae formaliter revelatae, quae ab Ecclesia infallibiliter ut credenda proponitur *universali et ordinario Magisterio*. Inde oriuntur alia duae notae quae sequuntur.

8. DE FIDE DIVINA DEFINITA est doctrina formaliter revelata, quae ab Ecclesia infallibiliter ut credenda proponitur *sollemni iudicio* Concilii Oecumenici vel Papae ex cathedra loquentis (CIC 1323 §2). Haec doctrina est DOGMA FIDEI DEFINITA.

NITAE (D 1683). Doctrina opposita dici potest SOLLEMNITER ET FORMALITER HAERETICA.

9. DE FIDE DIVINA ET CATHOLICA STRICTE est doctrina formaliter revelata, quae ab Ecclesia infallibiliter ut credenda proponitur *universali et ordinario Magisterio*. Haec doctrina est DOGMA FIDEI CATHOLICAE (D 1683). Doctrina opposita est FORMALITER HAERETICA.

10. DE FIDE CATHOLICA IN GENERE appellari potest nota quae resultat ex summa notarum *sub 3 et sub 5*. Ita nuncupari potest doctrina quae *cum revelatis* certo ac necessario *connexa* est et ab Ecclesia *infallibiliter, ut tenenda*, proponitur: a) sive *sollemni iudicio*; b) sive *universali et ordinario Magisterio* (D 1676. 1792. 1839). Doctrina opposita dici potest ERROR CIRCA FIDEM CATHOLICAM.

Haec nota *de fide catholica in genere* includit duas varietates quae tantum accidentaliter differunt: a) alia est propria doctrinae cum revelatis connexae, quae ab Ecclesia infallibiliter ut tenenda proponitur *sollemni iudicio*; b) alia vero propria est doctrinae cum revelatis connexae, quae ab Ecclesia infallibiliter ut tenenda proponitur *universali et ordinario Magisterio*. Inde prodeunt duae postremae notae quae sequuntur.

11. DE FIDE DEFINITA dici potest doctrina cum revelatis connexa, quae ab Ecclesia infallibiliter *ut tenenda* proponitur *sollemni iudicio* sive Concilii Oecumenici sive Papae ex cathedra loquentis. Doctrina opposita nuncupari potest ERROR IN FIDE DEFINITA.

12. DE FIDE CATHOLICA STRICTE dici potest doctrina cum revelatis connexa, quae ab Ecclesia infallibiliter *ut tenenda* proponitur *universali et ordinario Magisterio*. Doctrina opposita appellari potest ERROR IN FIDE CATHOLICA.

Doctrinae oppositae iis quae notatae sunt sub numeris 10, 11 et 12 dici etiam possunt INDIRECTE VEL VIRTUALITER HAERETICAE, iuxta memoratam doctrinam S. Tomae 2 2 q.11 a.2.

N. B. Doctrinae sub numeris 10, 11 et 12 notatae, ab auctoribus qui fidem ecclesiasticam propugnant dicuntur esse *de fide ecclesiastica* sive *definita* sive *catholica*. Doctrinae vero ipsis oppositae, ab iisdem appellantur *errores in fide ecclesiastica*.

13. PROXIMAE notis, de quibus hucusque egimus, aliae doctrinae dici solent: ita, exempli gratia, PROXIMA FIDEI DIVINAE, vel HAERESI, vel FIDEI CATHOLICAE, vel ERRORI THEOLOGICO, et cet. appellatur doctrina, quae *unanimes fere* Theologorum consen-

su est de fide divina, vel haeretica, vel de fide catholica, vel error theologicus, et cet.

EXPLICATIO SUMMATIM SINGULARUM NOTARUM

A. EX RELATIONE AD SOLOS FONTES revelationis eruitur valor et censura propositionum quae describuntur sub numero 1 ad 3. Hae sunt illae notae valoris vel censurae, quas Theologi deducunt *directe* et *immediate* ex Scriptura vel Traditione, abstrahentes a iudicio quod de iisdem tulerit necne Magisterium authenticum, vel praeparantes scientia theologica huiusmodi Magisterii iudicium a Concilio aut a Summo Pontifice proferendum⁵.

1) DE FIDE IN GENERE dicimus esse eam doctrinam, quae ad fidem pertinet, sive *directe* vel *formaliter* sive *indirecte* vel *virtualiter*. Hanc denominationem genericam eruimus ex S. Thoma, qui ait: "Ad fidem aliquid pertinet *dupliciter: uno modo* *directe* et *principaliter*, sicut articuli fidei; *alio modo* *indirecte* et *secundario*, sicut ea ex quibus negatis sequitur corruptio alicuius articuli. Et circa utraque potest esse haeresis eo modo quo et fides"⁶. Similiter Cano: "Cum veritas, inquit, fidei bipartita sit, et haec ad fidem *mediate*, illa *immediate* pertineat; necesse est duos gradus propositionum fidei generales statim a principio collocare. Prior earum erit, quae Theologiae legitima principia sunt, hoc est, ea omnia quae Deus in se ipsis Ecclesiae revelavit. Posterior vero gradus earum erit, quae ex prioribus illis necessario colliguntur; hoc enim genus conclusionum, ut cum rebus fidei colligatum, ad fidem etiam spectat"⁷.

Pari ratione hanc genericam denominationem intelligere videntur Theologi Concilii Vaticani. Nam Relator Episcopus Gasser, nomine Deputationis fidei, definitionem infallibilitatis pontificiae Patribus Concilii explicans: "Praesens, inquit, definitio obiectum infallibilitatis solum *generice* enuntiat, cum dicit, illud nempe esse doctrinam *de fide vel moribus*". In sequentibus vero explicat, quomodo "in hoc obiecto ita *generice* enuntiato" includantur, primo, "veritates ad fidei depositum pertinentes", deinde etiam illae, "quae licet in se revelatae non sint, requiruntur tamen ad ipsum depositum re-

⁵ Annotationes Deputationis fidei ad schema Constitutionis de fide catholica: MSI 52. 25.

⁶ S. TH. 2 2 q.11 a.2; cf. 1 q.32 a.4.

⁷ M. CANO, *De locis*, 1.12 c.6.

velationis integre custodiendum, rite explicandum et efficaciter definiendum”⁸. Huiusmodi ergo sunt veritates *de fide in genere*.

Doctrina opposita dici potest, in genere, ERROR CIRCA FIDEM. Oppositam dicimus doctrinam, quae sive contradictorie sive contrarie opponatur doctrinae de fide. Eam appellamus in genere errorem circa fidem, quia opponitur doctrinae quae in genere versatur circa fidem, abstrahendo interea a determinando utrum *formaliter* an solum *virtualiter* de fide sit.

Sub hac nota *de fide in genere* duas species includi constat nobis ex nuper citatis testimoniis S. Thomae, Melchioris Cano et Theologorum Concilii Vaticani.

2) DE FIDE DIVINA est nota qua designamus primam speciem earum, quae sub priori denominatione generica comprehenduntur. Eius explicatio iam satis patet ex iis quae praecedunt. *De fide divina* est igitur ea doctrina quae *formaliter* vel *directe* in revelationis fontibus continetur. Iam vero, formaliter in fontibus contenta inveniri potest aliqua doctrina aut *explicite* aut *implicite*: *Explicite*, si ipsa doctrina in fontibus expressa reperiatur; *implicite*, si *ex solis* revelationis fontibus immediate sive per analysim sive per deductionem eruatur. *De fide divina* appellatur doctrina, tam ea quae explicite quam illa quae implicite in fontibus continetur⁹.

Doctrina *opposita* dicitur ERROR IN FIDE DIVINA, ut patet.

3) THEOLOGICE CERTA est nota valoris, qua designatur alia doctrinae species, comprehensa sub generali nota prima. Specie tamen a praecedenti differt, quia, ut aiebat Relator fidei in Concilio Vaticano, huiusmodi doctrina “in se revelata non est”, ac propterea “ad fidei depositum per se non spectat, sed solum ad eius custodiam”, utpote quae ex doctrina depositi *vera et propria deductione* concluditur, *mediante* alia veritate naturaliter certa, atque ideo iure etiam appellatur CUM FIDEI DEPOSITO CONNEXA¹⁰.

Doctrina opposita dicitur ERROR THEOLOGICUS prout aperte constat.

In explicandis et adhibendis tribus his valoris notis facile auctores conveniunt. Aliqui tamen doctrinam quam detegunt in fontibus directe vel formaliter contentam indifferenter ap-

⁸ Msi 52, 1225-1227; cf. Msi 49, 627; lege etiam D 1792, 1797, 1798, 1820.

⁹ Cf. IO DE TORQUEMADA, *Apparatus super Decret. Unionis Graecorum* Ed. CANDAL, 1942, p. 37-50 (CF, S.B., v.2, f. 1).

¹⁰ Msi 52, 1226.

pellare consueverunt vel denominatione abbreviata, *de fide*, vel accuratius, *de fide divina*.

B. *EX RELATIONE AD SOLUM ECCLESIAE UNIVERSALE MAGISTERIUM* deducimus valorem et censuram propositionum, de quibus agimus sub numero 4 ad 6. Huiusmodi notae merito considerandae sunt, quia saepe constat nobis de gradu relationis alicuius doctrinae ad universale Magisterium, quin tamen sufficienter pateat, neque ex declaratione Magisterii neque ex Theologorum scientia, utrum eadem doctrina dici proprie debeat a Deo revelata an solum cum revelatis connexa. Notas ergo a 4 ad 6 directe et immediate deducimus ex solo universali Magisterio, abstrahentes ab ulteriori iudicio quod eadem doctrina mereatur ex eius relatione ad Scripturam et Traditionem.

4) *DOCTRINA CATHOLICA IN GENERE* dicitur ea quae ab universali Magisterio aperte docetur *sive infallibiliter sive mere authentice*. Hanc notam genericam tribuimus doctrinae, quam universale Magisterium certo sane docet, quin tamen constet utrum eam infallibiliter an mere authentice proponat. Ita generice intellecta haec nota iam a saeculis in communi et frequenti Theologorum usu est. Sic Bañes: "Doctrina, inquit, catholica est illa quae universaliter docetur in Ecclesia catholica". Similiter Suárez: "Idem, ait, est doctrina catholica quod doctrina universalis"¹¹.

Doctrina opposita in genere dici potest *ERROR CIRCA DOCTRINAM CATHOLICAM*.

Sub nota *Doctrinae catholicae in genere* duas species comprehendendi, constat nobis ex thesibus in quibus probatur, universale Ecclesiae Magisterium docere posse duplici auctoritatis gradu, scilicet, gradu summo seu infallibiliter, et gradu ordinario seu mere authentice (cf. D. 1684. 1698. 1820).

5) *DOCTRINA CATHOLICA INFALLIBILITER CERTA* est prima species earum quae comprehenduntur sub praecedenti nota generica. Dicitur *doctrina catholica* quia ab universali Magisterio docetur. Appellatur praeterea *infallibiliter certa*, quia a Magisterio proponitur summo suae auctoritatis gradu, seu actu excludente possibilitatem erroris. Ad hanc speciem pertinent ea quae infallibiliter quidem a Magisterio docentur, quin tamen ulterius determinetur, utrum tanquam revelata an solum tanquam cum revelatis connexa proponantur. Huiusmodi sunt ea quae *ex solis canonibus* Conciliorum Tridentini et Vaticani eruntur, cum damnatio fit sub formula generica "*Anathema*

¹¹ D. PAÑES. In 2 2 q.11 a.2; F. SUÁREZ, *De fide*, d.3 s.10 n.3.

sit" et nihil innuitur de relatione doctrinae damnatae ad ipsos revelationis fontes.

Opposita dici potest ERROR IN DOCTRINA INFALLIBILITER CERTA.

6) DOCTRINA CATHOLICA STRICTE est alia valoris nota, quae sub *doctrina catholica* generatim intellecta includitur. Appellatur *catholica* doctrina, quia ab *universali* Magisterio docetur. Dicitur *stricte talis*, quia a Magisterio *mere authentico* proponitur, auctoritate quidem universali, sed actu non excludente possibilitatem erroris (D 1684. 1820; CIC 1323 § 3).

Huiusmodi sunt doctrinae, quae universo fidelium gregi proponuntur in Litteris Encyclicis Summorum Pontificum nec non in decretis doctrinalibus Sanctae Sedis in forma specifica a Romano Pontifice approbatis, quae generatim, *nisi aliud manifeste constiterit*, sine intentione infallibiliter docendi edita censentur. Hanc doctrinam ab universali Magisterio mere authentice propositam, Deputatio fidei Concilii Vaticani appellabat "oecumenicam tantum aliquam responsionem vel dispositionem", ut eam probe distingueret a "vera et propria definitione seu perentoria lata sententia" ¹².

Doctrina *opposita* dicitur SALTEM TEMERARIA, et dici bene potest ulterius ERROR IN DOCTRINA CATHOLICA. Appellatur in primis *saltem temeraria*, quia est contra doctrinam ab universali Magisterio authentice propositam. Appellari ulterius potest *error in doctrina catholica*, quia opponitur doctrinae propositae actu Magisterii, qui, etsi non excludat *omnem erroris possibilitatem*, attamen *errandi formidinem* veraciter expellit.

Doctrinam, de qua egimus sub numero 4 ad 6, Theologi communiter denominant DOCTRINAM CATHOLICAM, abstinentes ab ulterius determinanda ultra species sit, ad quam pertineat, ex duabus, quae sub *nota generica doctrinae catholicae* revera comprehenduntur, quemadmodum explicare conati sumus.

C. EX RELATIONE AD UTRUMQUE, id est, *ad revelationis fontes et ad infallibile Magisterium*, eruitur *plenum et adaequatum* iudicium valoris vel censurae propositionum in Theologia, de quo agimus sub numero 7 ad 12. Intendimus exponere notas praecipuas, quae propositionibus competunt ex ipsarum relatione ad Scripturam vel Traditionem, et ad Magisterium *tantum infallibile*. Simili ratione definiiri possent notae, quae erui queunt ex relatione ad fontes et ad Magisterium *mere authenticum*; sed ab his definiendis interea abstinemus brevitate gratia et quia huiusmodi notae minus principales sunt.

7) DE FIDE DIVINA ET CATHOLICA IN GENERE dicitur doctrina.

¹² MSI 52, 25-26.

quae ex relatione ad fontes est *de fide divina*, prout explicatum est sub 2, et ex relatione ad Magisterium est *doctrina catholica infallibiliter certa*, prout constat ex dictis sub 5. Haec nota expresse statuta a Concilio Vaticano (D 1792) et a Leone XIII explicata, tandem in ipso Codice Iuris Canonici inclusa est¹³. Haec doctrina, utpote *divinitus revelata*, imponitur ab Ecclesia UT CREDENDA, et ideo appellatur DOGMA FIDEI DIVINAE, quemadmodum apposite docuit Pius IX in epistola "Tuas libenter" (D 1683. 1684).

Opposita doctrina merito appellatur HAERETICA, iuxta apertum illud Ecclesiae edictum: Baptizatus, inquit, qui "perficinaciter aliquam ex veritatibus *fide divina et catholica credendis* denegat, aut de ea dubitat, *haereticus* est" (CIC, 1325 § 2).

De fide divina et catholica, ut credenda, doctrina infallibiliter proponi solet, iuxta Concilium Vaticanum (D 1792), *duplici modo*, id est, sive *sollemni iudicio*, sive *ordinario et universali* per orbem disperso Magisterio, prout Pius IX, loco nuper citato, aperte declaravit (D 1683). Atque ideo Theologus Concilii Vaticani P. Iosephus Kleutgen recte annotavit: "Infallibilitas, inquit, alia est quae exercetur *modo sollemni*, sive ab Ecclesia in Concilio Oecumenico congregata sive a Pontifice e Cathedra loquente, alia quae exercetur a Magisterio Ecclesiae ordinario"¹⁴. Duo hi modi infallibilitatis exercendae inter se tantum accidentaliter differunt; quare sub nota *de fide divina et catholica in genere* duae *varietates* includuntur, quae ad invicem accidentaliter tantum differentia discriminantur.

8) DE FIDE DIVINA DEFINITA est prima *varietas* sub praecedenti latiori nota comprehensa. Ita appellatur doctrina *de fide divina*, seu directe vel formaliter in fontibus revelationis contenta, quam ulterius Ecclesia, tanquam divinitus revelatam, *ut credendam, sollemni iudicio* infallibiliter *definivit* (D 1792). "Sollemne huiusmodi iudicium pronuntiare proprium est tum Oecumenici Concilii tum Romani Pontificis ex Cathedra loquentis" (CIC 1323 § 2). Ad hoc vero iudicium pronuntiandum

¹³ Explicationem, ex Actis ipsius Vaticani, asserti apud D 1792 hanc dedit nomine *Deputationis fidei* Archiepiscopus Simor: "Paragraphus, inquit, *Porro fide divina*, etc., dirigitur contra illos, qui dicunt, illud solum *credendum* esse, quod *Concilium* definivit, et non etiam illud, quod *Ecclesia docens dispersa* unanimi consensu tanquam *divinitus revelatum* praedicat et docet". Ulterius Relator Episcopus Martin declaravit: "Verbum *universali* significat Magisterium totius Ecclesiae per orbem dispersae", iuxta litteras Pii IX "Tuas libenter": D 1683. Msi. 51, 47. 322. Leo XIII, *Encycl. "Sapientiae christianae"* ASS 22 (1890) 395. CIC 1323 § 1.

¹⁴ *Schema Constitutionis II de Ecclesia Christi*: Msi 53, 259.

“necessarium ac sufficiens est, ut Patribus Concilii *ex propriis divinae revelationis fontibus*, scilicet, ex Scriptura et Traditione, constet esse illam divinitus revelatam; proindeque Patrum officium est et munus, hanc divini depositi veritatem pro suo caractere *cum auctoritate declarare et proponere*”¹⁵.

Sollemne hoc iudicium in Conciliis Tridentino et Vaticano dupliciter expressum est: a) *forma positiva*, seu assertive, in *Capitibus* decretorum, quod appellamus *iudicium valoris*; b) *forma negativa*, seu damnatorie, in *Canonibus*, quod proprie est *iudicium censurae*. Intentio positive decernendi sollemni iudicio in Capitibus Concilii Tridentini, ex ipsius Concilii expressis verbis abunde constat: D 792-a et 870; 873-a et 882; 893-a et 910; 937-a et 947; 956-a et 960.

Postulatam a Patribus Concilii, eandem duplicem definiendi formam adhibendam decrevit Vaticanum. Relator enim Episcopus Simor, nomine Deputationis, “Vestrum, inquit, postulatum fuit ut in hoc Concilio Oecumenico Vaticano procederetur ad hunc modum, sicut processit Concilium Tridentinum in specie, nimirum, ut primo doctrina Ecclesiae proponeretur, deinde autem adiungerentur Canones, in quibus condemnarentur oppositi catholicae doctrinae errores”¹⁶.

De Vaticani intentione infallibiliter decernendi non minus in Capitibus quam in Canonibus, patet etiam ex introductionibus ad Constitutiones *De fide catholica* et *De Ecclesia Christi*: D 1781. 1821. Hunc vero esse sensum introductionum, constat praeterea ex Concilii Actis. Nam Reverendissimus Pater Alexander M.^s Teppa postulavit ut in introductione ad Constitutionem *De fide catholica* aliqua verba adderentur, “ut expressius, inquit, refellatur error eorum (et nominatim Denzinger), qui contendunt, *ea tantum ex Capitibus* tenenda esse ut definita, quae subiectis *Canonibus* respondent”¹⁷. Relator nomine Deputationis fidei Episcopus Gasser respondet: “Idem, quamvis non verbis adeo expressis, iam reapse enunliatur ver-

¹⁵ *Annotationes Deputationis fidei ad schema Constit. de fide catholica*: M^sI 52, 25.

¹⁶ M^sI 51, 44. Id ipsum, data occasione, in Vaticano repetitum est: M^sI 51, 291-292. 379.

¹⁷ M^sI 51, 394. DENZINGER in novem prioribus Enchiridii editionibus, quas ipse paravit ab anno 1854 ad 1907, scripsit in Prologo: “Expositiones Canonum v. g. Capitula Tridentini, parentheses, rationes additae ut plurimum non cadunt sub definitionem, maximae tamen sunt auctoritatis”. C. BANNWART in Enchiridii editione 10.^a ad haec animadvertibat: “Hoc exemplum a clarissimo auctore minus apte electum esse ex ipsis verbis Tridentini satis apparet”. Quare in recentioribus editionibus assertum clarum Denzinger omissum probe est.

bis: "Nunc autem, *sedentibus Nobiscum et iudicantibus* universi orbis Episcopis, in hanc oecumenicam Synodum auctoritate Nostra in Spiritu Sancto congregatis, *innixi Dei verbo scripto et tradito*, prout ab Ecclesia catholica sancte custoditum et genuine expositum accepimus, *ex hac Petri Cathedra in conspectu omnium, salutarem Christi doctrinam profiteri et declarare* constituimus, *adversis erroribus* potestate Nobis a Deo tradita *proscriptis atque damnatis*" (D 1781). In his utique dicitur, inter doctrinam quae habetur in Capitibus et doctrinam quae habetur in Canonibus, non aliam esse differentiam, quam quae est inter *positivam* doctrinam et *negativam*. Prima edicit quid sit *de fide tenendum*; altera vero quid sit *de fide vitandum* et damnandum" ¹⁸.

Theologi iam nunc unanimiter tenent, non minus in Capitibus quam in Canonibus Conciliorum Tridentini et Vaticani sollemnes definitiones contineri ¹⁹. Certum quidem est, "Ecclesiam in Canonibus rationes non adducere, sed simpliciter errores verbis definitis condemnare. Rationes pertinent ad doctrinam; condemnatio verbis concepta pertinet ad Canones" ²⁰. Quare in Capitibus, praeter ea quae *assertive et principaliter* Ecclesia definit, continentur etiam probationes et alia quae accedunt iis quae definiuntur; et ideo non censentur sub definitione sollemni comprehendi sententiae obiter dictae et argumenta, quae ad doctrinam confirmandam proponuntur in Capitibus, quamvis ex hac sola propositione singularis eis auctoritas accedat ²¹. Reliqua vero *Capitum asserta principalia*, quamvis doctrinam contineant ampliores ea quae stricte Canonibus respondeat, *omnia censenda sunt sollemniter definita*. Criterium autem ad rectam Capitum et Canonum interpretationem illud optimum est, quod in ipso Vaticano est enuntiatum: "Decreta et Canones Concilii intelliguntur semper in sensu a Patribus in illis redigendis intento" ²².

¹⁸ Msi 51, 415.

¹⁹ GRANDERATH, *Constitutiones dogmaticae sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani*, p. 74, nota 1. KLEUTGEN, *Theologie der Vorzeit*, 1, n. 50. SCHEEBEN, *Dogmatik*, 1, n. 562. HUARTE, *De gratia et Virtutibus*, p. 665-668, n. 126-129. PESCH, *Practect.* 1, n. 454; *Id. Compend.* 1, th. 38, n. 311. In tractatibus de Ecclesia: TANQUERAY, n. 966; WILMERS, n. 221; STRAUB, n. 832. 1027; DE GROOT, q. 13 a. 3, p. 467-469; BILLOT, p. 432; BAINVEL, n. 133, 7; MUNCUNILL, n. 605; FELDER, p. 258 nota 3; LERCHER, n. 481; SCHULTES, p. 461 et 626; DORSCH, p. 340; DIECKMANN, n. 745; ZAPELENA, th. 16, pars 2.^a Stat. q. d, p. 62; CARVEL, th. 20, p. 431-432; STOLZ, p. 54; SCHLAGENHAUFEN, n. 480; CALCAGNO, n. 358.

²⁰ Relator, nomine Deputationis fidelium in Vaticano: Msi 51, 292.

²¹ S. R. BELLARMINO, *De Conciliis et Ecclesia*, l. 2 c. 12.

²² A. FILIPPI, Episc. Aquilan: Msi 51, 133.

Igitur *doctrina de fide divina definita* statuitur *positive et directe in Capitibus* enuntiantibus illam *ut credendam*. *Negative vero et indirecte ex Canonibus* erui certo potest, e contrario errore qui damnetur *ut haeresis*. Hac ratione sollemniter definita doctrina iure appellatur **DOGMA FIDEI SOLLEMNITER DEFINITUM**.

Opposita vero doctrina merito dici potest **SOLLEMNITER ET FORMALITER HAERETICA**.

9) **DE FIDE DIVINA ET CATHOLICA STRICTE** est alia doctrinae varietas contenta sub nota latiori *de fide divina et catholica*. Ita appellatur doctrina *de fide divina*, seu directe vel formaliter in fontibus revelationis contenta, quae ulterius infallibiliter ab *ordinario et universali* Ecclesiae Magisterio tanquam divinitus revelata *credenda* proponitur: D. 1792. Ideo dicitur *catholica stricte*, quia ab *universali* Episcoporum per orbem dispersorum Magisterio infallibiliter proponitur.

De Episcoporum intentione *peremptorie* proponendi doctrinam *ut credendam*, constare debet ex modo quo eam imponunt, si nempe "iis utantur formulis, quibus pateat, se omnes obligare velle" ad talem doctrinam *assensu fidei divinae* amplectendam²³. Doctrina tali obligatione ab universali Magisterio ad credendum imposita, merito dicitur **DOGMA FIDEI CATHOLICAE**: D 1683.

Opposita doctrina appellanda est **FORMALITER HAERETICA**.

Theologi re omnes conveniunt in explicandis huiusmodi notis valoris et censurae, de quibus loquuti sumus sub numeris 7 ad 9. Saepe tamen diversas earum varietates distinguere non curant atque eas comprehendunt sub latiori denominatione *de fide divina et catholica*, prout etiam in Vaticano factum est: D 1792. Pari ratione easdem doctrinas appellant *Dogmata* fidei, oppositas vero doctrinas appellant *haereses*, quemadmodum etiam videre est apud Pium IX: D 1683. 1684. Ac recte quidem, nam hae diversae varietates *accidentaliter* tantum inter se differunt, quamvis iure a Theologo systematice discernantur.

10) **DE FIDE CATHOLICA IN GENERE** dici potest doctrina, quae ex relatione ad fontes est *de fide indirecte vel virtualiter*, prout explicavimus sub 3; et ex relatione ad universale Magisterium est *doctrina catholica infallibiliter certa*, quemadmodum constat ex iis quae diximus sub 5.

Haec nota generica et duae eius varietates, quae sequuntur, supponunt hoc: Doctrinam, nempe, certo ac necessario

²³ MSt 49. 670.

connezam cum revelatis infallibiliter ab Ecclesia proponi, *non ut credendam*, sed solum *ut absoluta certitudine tenendam*. Id ipsum iam supposebat F. de Victoria, cum aiebat: "Dico quod ad hoc quod aliqua propositio sit *de fide* [divina] requiritur quod Concilium determinet eam esse tenendam *tanquam de fide*. Ut quod purgatorium sit, est determinatum a Concilio Florentino quod est purgatorium et quod constat *ex Scriptura sacra* (D 693. 456. 777). Non tamen quidquid determinatur *tanquam verum* est *de fide*; sed quidquid determinatur *tanquam de fide* est *credendum* esse *de fide*. Hoc ergo requiritur"²⁴. Ergo iuxta Victoria, Concilium determinare infallibiliter potest aliquid dupliciter: a) *tanquam de fide credendum*, b) *tanquam verum tenendum*.

Hoc ipsum suppositum subiacet decretis Concilii Vaticani. Commissio enim dogmatica, cum ageret de methodo servanda et de materia includenda in Concilii decretis, statuit eam esse non solum *de fide credendam* et oppositas haereses, sed etiam *doctrinam tenendam* et errores contrarios: "Iudicentur, inquit, et declarentur etiam veritates illae, quae etsi proprie *de fide* non sint, sunt tamen certae et indubiae, et ad catholicae Ecclesiae doctrinam pertinent"²⁵.

Immo et Deputatio fidei, reiiciens emendationem singularem a Rymo. Hefele propositam, ore Relatoris Episcopi Gasser aperte notavit: "Omnes *anathematis* feruntur solummodo contra eos, qui contumaciter Ecclesiae contradicunt et contumaciter *errorem* ab Ecclesia reiectum defendunt. Ecclesia vero non solum debet damnare *haereses*, sed debet etiam damnare *errores*, quantum concernunt utique doctrinam certam"²⁶.

Concilium ergo Vaticanum intendebat suis decretis *infallibiliter definire* doctrinam non solum *de fide credendam*, sed etiam *ut veram et certam tenendam*. In Canonibus vero non solum intendebat damnare haereses, sed etiam errores oppositos doctrinae *theologicae certae*. Atque inde concludere necesse est, fidelem a Magisterio *obligari* quidem semper *ad assensum absolute certum* veritati *infallibiliter* definitae praestandum, sed assensu duplicis speciei: ad veritatem, nempe, aut *fide divina credendam*, aut ad eam *absoluta certitudine te-*

²⁴ F. DE VICTORIA, In 2 2 q.1 a.10 n.3.

²⁵ *Congressus I Commissionis dogmaticae Concilii Vaticani*: Msi 49, 619-621; cf *Methodum servandam in Concilio Vaticano*: Msi 49, 654-655.

²⁶ Msi 51, 195-196.

nendam, quemadmodum etiam necessario concluditur ex doctrina de obiecto *directo* et *indirecto* infallibilitatis²⁷.

Duplicem hunc obligationis gradum distinxit, et quidem in iudicio contradictorio, Concilium Vaticanum. Nam in Constitutione *de fide catholica* expresse definivit, *obiectum fidei divinae* et catholicae esse ea, quae tanquam *divinitus revelata credenda* proponuntur: D 1792. In Constitutione vero *de Ecclesia Christi* aliqui volebant ut pariter definiretur, *obiectum infallibilitatis* esse doctrinam, quae ex Cathedra proponeretur *ut credenda*. Enixe alii contradixerunt, atque post diuturnam plurium dierum discussionem, praevaluit formula eorum qui sustinebant, *obiectum infallibilitatis* esse in universum doctrinam quae ex Cathedra proponeretur *ut tenenda*. Prior formula reiecta est, quia infallibilitatis obiectum *restringebat* ad solas veritates *directe* vel *formaliter revelatas*, quae proprium fidei divinae obiectum sunt. Secunda vero ideo electa et sancita est, quia cum constaret obiectum infallibilitatis latius patere quam fidei divinae obiectum, praeferenda omnino erat formula amplior, in qua ab infallibilitatis obiecto non excluderentur veritates *cum revelatis connexae*²⁸.

Huiusmodi veritates cum revelatis connexas non plane constat posse *fide divina credi* "propter auctoritatem ipsius Dei revelantis" (D 1789), quia ad fidem non pertinent directe et formaliter; atque ideo Magisterium infallibile eas non proponit proprie *ut credendas*. Imponit autem eas *ut tenendas*, quia propter earum necessariam cum revelatis connexionem, mentis assensu absolute certo amplectendae sunt ad fidei depositum rite *custodiendum*.

Ergo doctrina *de fide catholica in genere* dicitur ea quae cum revelatis certo ac necessario connexa est, et ab Ecclesia infallibiliter *ut tenenda* proponitur.

Opposita vero doctrina dici merito potest in genere ERROR CIRCA FIDEM CATHOLICAM. *Haeresis* enim appellari nequit, quia non opponitur doctrinae directe et formaliter *revelatae*, quae infallibiliter *ut credenda* proponatur. Dicitur autem *error circa fidem catholicam*, quia opponitur veritati omnino certae, ad fidem, quamvis indirecte, pertinenti et ab universali Magisterio infallibiliter propositae *ut tenendae*²⁹.

²⁷ Doctrina aperte definitur *ut credenda*, quia divinitus revelata est: D 1641. 1683. 1722. 1792. Consulto adhibetur vox *tenenda*: D 1836. 1839.

²⁸ D 1836. 1839. Diuturnam hanc disceptationem vide apud Msr 51. 701-702: 53, 251. 281-282: 52, 3. 7; 53, 255-256. 282-283. 275; 52, 1241. 1334. Cf. J. SALAVERRI, "Estud. Ecles." 22 (1948) 220-224.

²⁹ In his omnibus praescindi potest, et nos quidem probe abstrahimus, ab ulteriori quaestione, de qua Theologi in tractatu de fide disputant, vi-

Haec doctrina *de fide catholica in genere* duplici modo ab Ecclesia proponi solet: a) sollemni iudicio, b) universali et ordinario Magisterio. Hi autem modi inter se tantum accidentaliter differunt. Quare sub nota generica *de fide catholica* duplex varietas comprehenditur, quae ad invicem accidentaliter tantum differentia distinguuntur: a) alia est doctrina *de fide definita*, b) alia vero doctrina *de fide catholica stricte dicta*.

11) DE FIDE DEFINITA dicitur doctrina, quae ex relatione ad revelationis fontes non est directe et formaliter in eis contenta, sed tantum *cum revelatis* certo ac necessario *connexa*; ex relatione vero ad Ecclesiae Magisterium est infallibiliter ut tenenda proposita *sollemni iudicio*, sive Concilii Oecumenici sive Papae ex Cathedra loquentis, prout explicavimus sub 8.

Opposita autem merito ac consequenter appellari potest ERROR IN FIDE DEFINITA.

12) DE FIDE CATHOLICA STRICTE est alia varietas comprehensa sub nota numeri 10. Ita designatur doctrina, quae ex relatione ad fontes est tantum *cum revelatis connexa*, et ex relatione ad infallibilem Ecclesiam, proponitur ut tenenda *universali et ordinario Magisterio*, prout notavimus sub 9.

Opposita vero consequenter ac iure dici potest ERROR IN FIDE CATHOLICA.

Notae *de fide definita* et *de fide catholica*, de quibus egimus sub numeris 11 et 12, minime confundendae sunt cum notis *de fide divina definita* et *de fide divina catholica*, quas explicuimus sub numeris 8 et 9. Discrimen essentiale est. Nam sub numeris 8 et 9 sermo est de valore doctrinae *in fidei deposito* directe et formaliter contentae, quae proinde *ut credenda* proponitur; sub numeris vero 11 et 12 egimus de valore doctrinae, quae solummodo est *cum revelatis connexa* ac propterea proponitur tantum *ut tenenda*. Plures tamen Theologi, ii praesertim qui *fidem ecclesiasticam* admittunt, abbreviatis denominationibus *de fide definita* et *de fide catholica* designant doctrinas, quae accuratius, iuxta Vaticanum (D 1792), appellandae essent *de fide divina definita* et *de fide divina catholica*, quemadmodum a nobis explicatum est. Hoc autem notasse sufficiat ad recte interpretandam auctorum variam terminologiam.

delicet: utrum doctrina cum revelatis mere connexa, post infallibilem Ecclesiae definitionem, possit vel debeat *fide divina* credi necne. Cf. EXCM. F. GARCÍA, *A propósito de la llamada "Fe eclesiástica"*: *Miscelánea Convallas* 6 (1946) 9-45.

Theologi, qui *fidem ecclesiasticam* propugnant, propositiones sub numeris 10, 11 et 12 notatas respective appellant, *de fide ecclesiastica in genere, de fide ecclesiastica definita* et *de fide ecclesiastica catholica*. Oppositas vero eis doctrinas respective denominant, *error in fide ecclesiastica, error in fide ecclesiastica definita* et *error in fide ecclesiastica catholica*. Hac terminologia prorsus vitatur periculum confundendi notatas 10, 11 et 12 cum notis 7, 8 et 9, quas retulimus.

Theologi autem, qui fidem ecclesiasticam admittere renuunt, ab huiusmodi denominationibus abhorrent, notasque adhibent quas proposuimus sub numeris 10, 11 et 12. Illas vero ut probe distinguant a notis numerorum 7, 8 et 9, nunquam in his omittunt appellativum DIVINA appositum voci *de fide*, quod harum notarum vere essenziale et specificativum est.

Abstrahentes a doctrina *disputabili* circa fidem ecclesiasticam, eamque neque asserentes neque negantes, sequuti sumus communioem doctrinam S. Thomae et Theologorum Concilii Vaticani in denominandis notis numerorum 10, 11 et 12. Qui earum sensum accuratius exprimere vellet, eas, iuxta S. Thomam et Canum, appellare posset "indirecte, secundario, virtualiter vel mediate pertinentes ad fidem", sive catholicam in genere, sive definitam, sive catholicam stricte. Oppositas vero doctrinas pari ratione dicere posset "indirecte, secundario, virtualiter vel mediate haereticas"³⁰.

Cum doctrinas sub 10, 11 et 12 appellamus *de fide tenendas*, eas probe et accurate distinguimus a doctrinis sub 7, 8 et 9, quas appellamus *de fide divina credendas*. Utrasque appellamus *de fide*, et sane de fide dici possunt cum S. Thoma, sed diversa omnino ratione; ad fidem enim divinam pertinent aliae *quasi ad elicentem*, aliae vero *quasi ad imperantem*. Hanc distinctionem eruimus ex ipso Aquinate: "Nihil, inquit, prohibet, actum, qui est proprie unius virtutis *elicitive*, attribui alteri virtuti sicut ordinanti et *imperanti*"³¹.

Iuxta hanc ergo distinctionem infallibile Magisterium docere potest doctrinam duplici ratione: a) ut *fide divina credendam eam*, quae sit revelata, et ideo ab Ecclesia proponitur ut eam fideles amplectantur mentis assensu absolute certo a *fide divina elicito*. b) ut *fide tenendam* eam, quae sit cum revelatis connexa, et ideo ab Ecclesia proponitur ut eam fideles am-

³⁰ Cf. ea quae citavimus in notis 6, 7 et 8. Sed propter *varietatem* epithetorum "*indirecte, secundario, virtualiter, mediate*", haec denominationes uniformitati officerent.

³¹ S. TH. 2 2 q.32 a.1 ad 2; q.88 a.6; q.147 a.2 ad 2.

plectantur mentis assensu absolute certo a *fide divina imperato*.

Huiusmodi imperatus assensus dici potest elicitus a virtute obedientiae intellectualis, imperatus vero a virtute fidei. Et quamvis sit actus elicitus ab inferiori virtute, tamen "fit melior ex hoc quod imperatur a superiori virtute, cuius actus fit per imperium"³². Et ideo quia fit actus *virtutis fidei per imperium*, merito appellari potest *de fide*. Unde etiam doctrinae sub numeris 7, 8 et 9 dici possent *de fide eliciente*; eae vero quae sub numeris 10, 11 et 12, appellari possent *de fide imperante*³³.

SCHEMA NOTARUM VALORIS ET CENSURAE PROPOSITIONUM IN THEOLOGIA³⁴

<i>Notae valoris doctrinae verae</i>	<i>Condiciones quae requiruntur</i>	<i>Censurae doctrinae oppositae</i>
<i>A. Relate ad fontes revelationis</i>		
1. <i>De fide</i> in genere.	Fidei depositum attingens sive directe vel formaliter sive indirecte vel virtualiter.	<i>Error circa fidem</i> in genere.
2. <i>De fide divina</i> .	Ad fidem pertinens formaliter, seu in fontibus formaliter contenta.	<i>Error in fide divina</i>
3. <i>Theologicæ certæ</i> .	Ad fidem pertinens virtualiter, seu ex fontibus deducta, mediante veritate naturaliter certa, propria et stricta deductione.	<i>Error theologicus</i> .
<i>B. Relate ad Magisterium universale.</i>		
4. <i>Doctrina catholica</i> in genere.	Ab universali Magisterio doctur sive infallibiliter sive mere authentice.	<i>Error circa doctrinam catholicam</i> .
5. <i>Doct. infallibiliter certæ</i> .	Ab universali Magisterio docetur infallibiliter.	<i>Error in doct. infallibiliter certæ</i> .
6. <i>Doct. catholica stricte</i> .	Ab universali Magisterio docetur mere authentice.	<i>Error in doctrina catholica</i> .

³² S. TH. 2 2 q.88 a.6.

³³ Has denominationes non includimus nostro schemati quia eas ab auctoribus nullibi adhibitas reperimus.

³⁴ Hoc schema a communi Theologorum usu tantum differt eo, quod accuratius distinguere et denominare intendat notas, quibus iudicium valoris et censura propositionum in Theologia communiter exprimitur.

<i>Notae valoris doctrinae verae</i>	<i>Condiciones quae requiruntur</i>	<i>Censurae doctrinae oppositae</i>
<i>C. Relate ad fontes revelationis et ad Magisterium universale</i>		
7. <i>De fide divina et catholica</i> in genere.	In fontibus formaliter contenta et infallibiliter proposita <i>ut credenda: Dogma fidei.</i>	<i>Haeretica formaliter</i> in genere.
8. <i>De fide divina definita.</i>	In fontibus formaliter contenta et sollemni iudicio infallibiliter definita <i>ut credenda: Dogma fidei definitae.</i>	<i>Haeretica formaliter et sollemniter.</i>
9. <i>De fide divina et catholica</i> stricte.	In fontibus formaliter contenta et universali et ordinario Magisterio infallibiliter proposita <i>ut credenda: Dogma fidei catholicae.</i>	<i>Haeretica formaliter.</i>
10. <i>De fide catholica</i> in genere.	Cum revelatis necessario connexa et infallibiliter proposita <i>ut tenenda.</i>	<i>Error circa fidem catholicam.</i>
11. <i>De fide definita.</i>	Cum revelatis connexa et sollemni iudicio infallibiliter proposita <i>ut tenenda.</i>	<i>Error in fide definita.</i>
12. <i>De fide catholica</i> stricte.	Cum revelatis connexa et universali et ordinario Magisterio proposita <i>ut tenenda.</i>	<i>Error in fide catholica.</i>
13. <i>Proxima: fidei divinae vel fidei divinae definitae vel doctrinae catholicae, etc., etc.</i>	Quae unanimi fere Theologorum consensu est de fide divina vel de fide divina definita vel doctrina catholica, etc., etc.	<i>Proxima: errori in fide vel haeresi formalis vel errori in doctrina catholica, etc., etc.</i>

JOACHIM SALAVERRI, S. J.

Decan. Fac. Theol. in Pontif. Univ. Comillensi.

Comillas, 1 de enero de 1949.